

blicum, ac privatum; et quid? — Judicium publicum est, quod ex legibus publicorum judiciorum venit: sive, ad ejus executionem, seu criminalem accusationem, quivis e populo plerumque admittitur, § 4. Instit. de Public. judic. Econtra, judicium privatum dicitur, quod non venit ex legibus publicorum judiciorum: sive, in quo agere nemo potest, nisi ad quem res proprie, atque omnino pertinet: ut in furto, injuria, et aliis criminibus privatis accidit.

62. *Judicia publica, et privata, cur sic dicantur?* — Aliam hujus divisionis, atque appellationis rationem reddit Mysinger in § Publica judicia. n. 8. Instit. de Public. judic. asserens cum aliis, quod publica judicia (quæ nonnisi ob crimina reipublicæ perquam perniciosam instituebantur) videantur sic dicta ex eo: quia olim in publico foro, et coram frequenti populo, hæc judicia exercebantur super certis criminibus, reipublicæ admodum perniciosis: ut est crimen læsæ majestatis, adulterium, parricidium, et hujusmodi. Alia vero judicia privata dicta sint, quia extra ordinem, privatimque apud præsidem constituebantur. Verum de his plura juristæ. (ADNOTATIO XXIV.)

§ III.

DE JUDICE IN CAUSIS SPIRITUALIBUS, NEC NON CIVILIBUS ECCLESiarUM, PERSONARUMQUE ECCLESIASTICARUM.

63. *Ratio agendi nunc de judice.* — Quoniam ad constituendum judicium tres requiruntur principales personæ, videlicet actor, reus, et judex, c. Forus. 10. de Verb. signif. estque jam dictum superius, § 1. n. 7. et seqq. Visa multiplici ejus divisione expedit, et de hisce principalibus ejus personis nonnulla subjungere: illis tamen suppositis, quæ de officio et potestate judicis, tum delegati, tum ordinarii, in l. I. a tit. XXIX, usque ad tit. XXXII fusius explicata fuerunt; et quæ de foro competenti, in tit. seqq. specialiter tractanda sunt. Unde incipiendo a judice, veluti persona cæteris digniore

64. *Causa criminalis, mere civilis, et ecclesiastica, quæ?* — Quæritur I. Utrum, et qualiter causæ spirituales ad judicem ecclesiasticum discutiendæ pertineant? Ubi prænotandum cum Glossa caus. 11. q. 1. in Summa; Abbate in c. Decernimus. n. 3. h. t. et aliis; quod causâ alia est mere civilis, alia spiri-

tualis, et alia criminalis. Hæc est, ubi de crimine agitur; de qua procedunt dicta, § præced. n. 36 et n. 50 et seqq. Porro causâ mere civilis dicitur, in qua agitur de rebus mere temporalibus, puta de possessionibus, pecunia, et juribus eas concernentibus; causâ spiritualis vero, in qua tractatur de rebus spiritualibus.

65. *Res spirituales, quæ?* — Porro per res spirituales non solum illa intelliguntur, quæ per se ac essentialiter suam sunt spiritualia; ut gratiæ, ac virtutes, aliaque dona supernaturalia: sed etiam illa omnia, quæ vel causant spiritualia; ut sacramenta, quæ digne recipientibus conferunt gratiam supernaturalem; vel saltem ad Dei cultum, et pios usus, sive ad spirituales salutem animarum, et a peccatis præservationem ordinantur; sicque ratione finis spiritualia censentur, et proprie pertinent ad spirituale regimen prælatorum Ecclesiæ: uti sunt professio religiosa, votum, juramentum, beneficia ecclesiastica, et electiones ad ea, primitiæ decimæ, et hujusmodi; una cum desuper motis quæstionibus de valore professionis, voti, aut juramenti, causisque beneficialibus, decimalibus, etc. (ADNOTATIO XXV.) Quo prænotato,

66. *Causarum spiritualium cognitio, ad solos judices ecclesiasticos pertinet.* — Resp. I. Generaliter loquendo causarum ecclesiasticarum, seu spiritualium cognitio ad solos Ecclesiæ prælatos, seu judices ecclesiasticos pertinet: ita ut talibus laici sese intromittere nec possint, nec debeant. Patet hoc ex cap. II. h. t. ubi absolute decernitur, « ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant, » ac notat Glossa, Abbas, et Barbosa, ibid. cum communi. Concordat c. Contingit. 8. de Arbitris, ubi quod plus est, etiam prohibetur, ne super rebus spiritualibus in laicum compromittatur, veluti in arbitrium. Et novissime concilium Tridentinum, sess. 24. can. 12. illis verbis: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit. »

67. *Et judex sæcularis harum cognitioni se immiscere prohibetur sub censuris.* — Quinimo, si judex sæcularis de facto se immiscuerit cognitioni causæ ecclesiasticæ, poterit ipsi per ecclesiasticum fieri inhibitio etiam sub censuris. Martha, de Jurisdict. part. II. cap. XLII. Engel, tit. de Foro compet. n. 61. Et si concurrat violatio ecclesiasticæ libertatis, ejusmodi judex laicus ipso facto excommunicationem incurrit, c. Noverit, 49. de Sentent.

excomm. etiam Papæ reservatam in bulla *Cœnæ Domini*, quæ quoad propositum optime est notanda. Accedit ratio: quia laicis, quamvis religiosis, disponendi de Ecclesiis, rebus et personis ecclesiasticis, nulla est attributa potestas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, can. Bene quidem. disp. 96. et c. Ecclesia S. Mariæ 10. de Constit. et cap. ult. de Rebus Eccles. non alienand.

68. *Laicus nec principaliter, nec incidenter potest cognoscere de causa spirituali.* — Resp. II. Adeo verum est, quod laici de causis spiritualibus judicare nequeant, ut istud nullo modo possint, nec principaliter, nec incidenter. Ita Glossa in d. c. Contingit. in fin. de Arbitris, et communis. Idque patet ex c. Lator. 5. et c. Causam quæ inter. 7. Qui filii sint legitimi, ubi proin quæstio legitimiæ natiuitatis, quæ opponebatur petenti hæreditatem coram judice sæculari, remissa fuit ad judicem ecclesiasticum. Unde Abbas in cit. c. Lator. n. 3. et alii communiter docent, quod si quæstio spiritualis, v. g. de legitimitate matrimonii parentum, incidat coram sæculari, ea ad judicem ecclesiasticum remitti debeat; ac interim in causâ principali per judicem sæcularem sit supersedendum, donec incidens illa quæstio per ecclesiasticum fuerit terminata; prout amplius infra tit. 10. de Ordine cognitionum. n. 31. et seqq. declarabitur.

69. *Idque nec ex commissione episcopi, vel alterius prælati Papa inferioris.* — Ampliatur conclusio, ut etiam ex commissione seu delegatione episcopi, aut alterius Papa inferioris prælati, non possint laici cognoscere super causâ spirituali: secus dicendum de summo Pontifice, utpote qui ejusmodi causas laico, ut puta cuiquam regi, bene potest delegare; prout amplius dictum est supra, lib. I. Decretalium, tit. XXIX. de Officio et potestate judicis delegati, § 4. n. 88. et seqq.

70. *Nec una cum clerico sibi per episcopum adjuncto.* — Ampliatur ulterius conclusio, ut laicus etiam cum clerico, sibi per episcopum adjuncto, non possit cognoscere, seu judicem agere, de causâ spirituali. Abbas in c. Contingit. n. 1. et 4. de Arbitris. Layman, l. III, tract. 6. cap. I. n. 2. et alii.

71. *Quamvis auctoritate episcopi possit de causâ spirituali compromitti in clericum et laicum simul, ut in arbitrium: et quæ ratio disparitatis?* — Nec obstat, quod auctoritate episcopi, imo et delegati, possit de causâ spiri-

tuali compromitti in clericum et laicum simul, ut in arbitrium, prout habetur c. Per tuas. § fin. de Arbitr. Resp. enim disparitatem esse: quia ipsum arbitrari de re spirituali, non est actus jurisdictionis spiritualis; bene tamen judicare, est actus jurisdictionis spiritualis. Quia igitur laicus non est capax juris spiritualis, etiam associato sibi clerico; ut c. Massana, 56. juncta Glossa. §. Per laicos. de Election. non mirum, quod auctoritate episcopi, vel alterius Papa inferioris, laicus non possit judicare super causâ spirituali una cum clerico, etsi possit una cum ipso super ea arbitrari. Abbas cit. n. 4. post Joan. Andream.

72. *Possunt tamen laici in causis spiritualibus adhiberi assessores.* — Resp. III. Nihilominus bene possunt laici in causis spiritualibus, ac ecclesiasticis discutiendis, adhiberi assessores. Ita patet per textum notabilem in c. Statutum. 11. § Assessorem, de Rescriptis, in 6. Accedit ratio: quia assessores nullam habent jurisdictionem, l. II. C. de Assessoribus, sed potius sunt consilarii judicum, atque ad supplendam horum imperitiam, seu indigentiam inventi, Angelus, consil. 274; Abbas, in c. Decernimus, n. 13. h. t. et alii.

73. *Etiam causarum spiritualibus connexarum cognitio, spectat ad solum judicem ecclesiasticum. Ut cognitio de jure patronatus.* — Quæritur II. An etiam cognitio causarum spiritualibus connexarum, spectet ad solum judicem ecclesiasticum? Resp. I. Affirmative; prout tenet Abbas, in c. Quanto. n. 3. et Barbosa, ibid. n. 3 et 4. h. t. et alii ab hoc citati. Id ipsum desumitur ex d. c. Quanto. 3. h. t. ubi legitur decisum, quod causâ juris patronatus, utpote conjuncta et connexa spiritualibus causis, nonnisi ecclesiastico judicio valeat definiri. Idem ergo dicendum de aliis causis, quæ spiritualibus sunt connexæ; idque ob paritatem rationis, et quia de similibus idem judicium est habendum, c. Inter corporalia. de Translat. episcop. Accedit ratio, tum quia connexorum idem est judicium, c. Translata. juncta Glossa, ibid. de Constitut. et late probat Barbosa, axiomat. 51, n. 1; tum quia jus patronatus est quodammodo mixtum ex spirituali et temporali: atqui in mixtis magis dignum trahit ad se minus dignum, c. Quod in dubiis, de Consecrat. eccles.; et quæ religiosis adhærent, religiosi sunt, l. Quæ religiosis. ff. de Rei vindicat.

74. *Et de jure sepulture in loco sacro.* — Et his iisdem de causis, ad judicem eccle-

siasticum private pertinet, cognoscere, ac judicare de jure sepulture in loco sacro, puta in cœmeterio, existentis: nam etiam istud est annexum spirituali, sicque subjiçitur jurisdictioni Ecclesiæ. Abbas in cit. c. *Quanto*. n. 10 et 11. h. t. Et licet laicus tale jus sepulcri proprie non possideat, nec quasi possideat, cum sit in cœmeterio sacro, sicque spirituali annexum; nihilominus in tali possessione, et facultate funerandi, toleratur ex speciali concessione et gratia Ecclesiæ; prout etiam de jure patronatus dici solet.

75. *Cur laicus possit tale jus possidere, non autem de eo cognoscere?* — Nec dicas: Potest laicus ex concessione Ecclesiæ possidere jus patronatus, et jus funerandi; ergo etiam de tali jure postest judex laicus cognoscere. Negatur enim consequentia: quia Ecclesia ex quadam indulgentia, et speciali gratia, sustinet quidem laicos in ejusmodi jure patronatus, aut jure funerandi; non tamen ideirco illud jus laicorum judicio, aut jurisdictioni subjecit, sed sibi subjectum reliquit. Atqui concessio, et gratia illa laicis facta, utpote exorbitans a jure communi, non est extendenda, nec ad consequentiam trahenda, juxta reg. 28 jur. in 6. multo minus retorquenda in præjudicium ipsiusmet Ecclesiæ, illud gratiose concedentis. Abbas ubi supra n. 8.

76. *Judex laicus potest accessorie ac secundario de jure patronatus cognoscere, licet non per se ac principaliter.* — Cæterum hætenus dicta, videlicet quod judex laicus nequeat cognoscere de jure patronatus, et hujusmodi intellige de per se, ac principaliter judicando: nam accessorie ac secundario potest, ut puta, judicando super castro, cui annexum est jus patronatus, Pirhing, h. t. n. 53. Sicut a pari, licet jus patronatus per se vendi non possit, c. *de Jure*. 16. *de Jure patronat.* potest tamen vendi per venditionem universitatis, cui inseparabiliter adhæret, c. *Cum sæculum*. 13. eod.

77. *Possunt laici negotia mere temporalia Ecclesiarum, personarumque ecclesiasticarum tractare.* — Quæritur III. Utrum temporalia negotia, causæque civiles Ecclesiarum, personarumque ecclesiasticarum ad solum judicem ecclesiasticum pertineant? Resp. I. Possunt quidem laici negotia mere temporalia Ecclesiarum, personarumque ecclesiasticarum tractare: sed ita dumtaxat, ut nulla eis super ecclesias, vel clericos potestas, seu præeminentia conferatur. Ita Abbas in c. *Decernimus*. n. 9

et 10. h. t. ubi post Gaspar. Calderinum inde infert, quod laicus possit in temporalibus constitui œconomus ecclesiæ vacantis; et multo magis, si non vacat. Vivianus in *Rationali*, cap. II. § 1. h. t. citans Felinum in c. *Apostolica*, col. 4. *de Exceptionib.* Summa Angelica, y. *Laicus*, n. 1; Pirhing, h. t. n. 53. et in re communis. Sic quippe laicus potest esse syndicus rerum temporalium ad monasterium spectantium, cap. un. *de Syndico*. Item procurator non solum ad gerenda negotia temporalia, sed etiam ad agendum, vel defendendum in judicio super causis spiritualibus, cap. I. § 1. *de Procuratorib.* in 6, haud obstante, quod ipsos actus spirituales exercere, aut spiritualia negotia tractare non possint, c. *Decernimus*. h. t. Nam procuratoris munus est vile, et onerosum: non sic potestas tractandi negotia spiritualia.

78. *Ac hujus congruentia.* — Accedit ratio: quia ex una parte laici circa gerenda negotia mere temporalia, solent esse magis instructi, et practici: ex altera vero parte expedit, ut clerici, veluti in sortem Domini specialiter vocati, a tractandis negotiis temporalibus magis sint abstracti, ne prætextu horum avocentur a divinis, arg. cit. cap. un. *de Syndico*. Ergo non solum nihil impedit, sed etiam conveniens est, ut laici administrent negotia mere temporalia Ecclesiarum, et clericorum: dummodo nullam in hos exerçant potestatem, ac præeminentiam, sed nudum exhibeant ministerium, ipsorum nomine res suas temporales administrando.

79. *Non tamen possunt habere generalem administrationem omnium bonorum ecclesiæ.* — Dices. In can. *In nona*. 16, q. 7. expresse prohibetur, ne episcopi laicos constituent suos œconomos, sed hos ex proprio clero sibi assumant; ergo. Resp. in præallegato canone per œconomum, intelligi vicarium episcopi in rebus divinis; prout liquet ex textu. Unde ibidem notanter subditur ratio dictæ prohibitionis, illis verbis: « Indecorum est enim laicum vicarium esse episcopi, et sæculares in Ecclesia judicare. » Unde Abbas in cit. c. *Decernimus*. n. 9. et seqq. recte inquit, quod laicus non possit esse œconomus, id est, non possit habere generalem administrationem omnium bonorum Ecclesiæ, temporalium, et spiritualium, ut sic præsit omnibus; c. *Ex ratione*; 2. *de Ætate et qualitat. præfic.* bene tamen possit laicis committi cura rerum temporalium, ubi habent purum et nudum ministerium, tenenturque alicui personæ eccle-

siasticæ reddere rationem; prout observat quasi consuetudo totius orbis.

80. *Nec ut habeant quandam super clericos præeminentiam.* — Additur notanter in conclusione: « Sed ita dumtaxat, ut nulla eis super clericos potestas, seu præeminentia conferatur. » Hoc enim aperte repugnaret dignitati status clericalis, atque privilegio exemptionis clericorum a jurisdictione laicali; et merito reprobat in d. c. *Ex ratione*. 2. *de Ætate et qualitat. præficiend.* et can. *Indicatum est*, dist. 89. (ADNOTATIO XXVI.)

81. *Neque possunt cognoscere causas mere civiles, quæ contra ecclesias vel clericos intentantur, præsertim seclusa speciali commissione episcopi.* — Resp. II. Non tamen possunt laici, præsertim seclusa speciali commissione seu delegatione episcopi, aut alterius prælati ecclesiastici, cognoscere causas judiciales, etiam pecuniarias aliasve mere civiles, quæ vel inter duos clericos, vel a sæcularibus contra ecclesias vel clericos intentantur. Conclusio sic prolata est certa; et patet ex can. *Inolita*. et seqq. 11. q. 1. et c. *Si quis contra*. 4. et c. *Si diligenti*. 12. *de Foro compet.* cum similibus. Accedit ratio, quia laici super ecclesiis, rebus et personis ecclesiasticis, nullam habent potestatem seu jurisdictionem, can. *Bene quidem*, dist. 96. et c. *Ecclesia S. Mariæ*. 10. *de Constitut.* cum similibus. Atqui nemo potest auctoritate propria, et absque commissione seu delegatione superioris judicare, nisi de rebus et personis suæ jurisdictioni subjectis; nam sententia a non suo iudice lata non valet, c. *At si clerici*. 4. h. t. et c. *Ad nostram audientiam*, 3. *de Consuetud.* cum similibus; ergo.

82. *Quid si accesserit talis commissio episcopi? An judex sæcularis possit supplere negligentiam iudicis ecclesiastici in causis clericorum? Remissive.* — Additur autem, « præsertim seclusa speciali commissione, » etc. Nam quod ex commissione episcopi, alteriusve prælati, possit laicus cognoscere causas mere civiles clericorum, tenet Glossa in c. *Decernimus*. § *Non presumant.* et ibi Abbas, n. 4. et Felinus, n. 1. et Barbosa, n. 6 et 7, h. t. citans alios, quamvis plures horum id limitent: dummodo non adsint clerici idonei, nec fiat commissio generalis ad omnes causas civiles; ut videre est apud Felinum, et Barbosa, loc. cit. Verum oppositam sententiam esse probabilior, videlicet non posse episcopum, aut alium prælatum Papa inferiorem committere laico causam clericorum tempo-

ralem judicialiter cognoscendam, jam dictum est supra lib. I. tit. 29. *de Officio et potestat. iudicis delegati*. § 4. n. 88. et seqq. Utrum autem iudex sæcularis possit supplere negligentiam iudicis ecclesiastici in causis realibus, et personalibus clericorum, pariter jam dictum est lib. I. tit. X. *de Supplenda negligentia prælatorum*. § 3. n. 44, 45 et seqq. Ibi videatur.

§ IV.

DE JUDICE IN CAUSIS CRIMINALIBUS CLERICORUM.

83. *Clericus de omni crimine debet coram iudice ecclesiastico conveniri, non coram laico.* — Quæritur I. Quis sit iudex ordinarius in causis criminalibus clericorum? Resp. I. Clericus de omni crimine debet coram ecclesiastico iudice conveniri; adeoque laicus non potest in causis criminalibus esse iudex ordinarius clericorum, haud obstante quacumque consuetudine contraria. Patet hoc ex can. *Nullus iudicium*. et seqq. 11. q. 1. et ex c. *Clerici*. 8. h. t. ubi Glossa, Abbas, Vivianus, Barbosa: et Auth. *Ut clerici apud proprios episcopos*. collat. 6. estque communis. Accedit ratio, quia iudex sæcularis nullam habet jurisdictionem in clericos, utpote gaudentes privilegio fori, sicque exemptos ab ejus jurisdictione, c. *Ecclesia sancte Mariæ*. 10. *de Constit.* et can. *Nullus iudicium*, et can. *Relatum*, 11. q. 1. cum similibus. Idque vel maxime procedit in causis criminalibus: cederet enim in grave dedecus, et contemptum status clericalis, si iudices sæculares, qui statu sunt inferiores, clericorum crimina cognoscerent, et punirent; sicque alios majores, et digniores se, in iudicium adducerent, arg. c. *Si diligenti*. 12. *de Foro compet.* Atque sententia in non subditum lata non tenet, c. *At si Clerici*. h. t. cum concordantiis; ergo.

84. *Adeo ut laicus nec principaliter, nec incidenter, possit clericum de crimine judicare et punire. Etiam si clericus esset calumniator in accusando laicum coram iudice sæculari.* — Atque hoc adeo verum est, ut iudex laicus nec principaliter, nec incidenter, possit clericum de crimine judicare, eumque punire. Farinacius tom. I. l. II. *de Inquisitione*. tit. I. quæst. 8. n. 26. cum aliis inde concludens, quod clericus calumniator in accusando laicum coram iudice sæculari, non possit ab eodem sæculari iudice puniri. Et merito: nam statuta conciliorum generalium, sacrique canones,